



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Nobili Viro M. De Romania.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei &c. usque ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatinus &c. usque in finem. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis, S. R. E. Cancellarij, X. Kal. Aprilis, Indictione IX. incarnationis dominicæ anno MCCVII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno decimo.

NOBILI VIRO M. DE ROMANIA.

Epist. 29.  
Diffinitur super  
restitutione  
juris patronatus  
Ecclesiæ sancti  
Angeli de Casaperota.

EXaminata causa quæ vertitur inter te ac Milites Camponicos super Ecclesiæ sancti Angeli de Casaperota, auditis confessionibus & attestationibus intellectis, inspectis etiam instrumentis, & allegationibus indagatis, perpendimus evidenter arbitrium quod T. Vicedominus Sabinensis dicebatur super eodem negotio promulgasse, contra formam juris & compromissi fuisse dictatum. Vnde non obstante confirmatione felicis memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri, qui confirmaverat illud sicut providè latum fuerat & ab utraque parte receptum, decrevimus ipsum irritum & inane. Actionem autem quam super jure patronatus ejusdem Ecclesiæ contra præfatos Milites intendebas incongruentem cognovimus & ineptam: quia cum testes induxeris ad probandum quòd quando præfatus Vicedominus eandem Ecclesiam quasi sequester accepit, tu ipsam Ecclesiam possidebas, profectò nec rei vendicationem intendere nec ipsius restitutionem poteris postulare. Vnde intentionem tuam in hac parte pronuntiavimus non tenere, absolventes prænominatos Milites ab eadem. Ita tamen quòd si congruentem & aptam intendere volueris actionem, respondere tibi nihilominus teneantur. Nulli ergo &c. nostræ diffinitionis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani IX. Kal. Aprilis, anno decimo.

POTESTATI ET POPULO  
Faventinensi.

Epist. 30.  
Inducitur super  
questione

CVm nuper ex parte vestra dilecti filij M. & Ar. ad sedem apostolicam

accessissent pro causa quæ vertitur inter vos & Ecclesiam Ravennatensem, procurator tandem constitutus à Syndico vestro, qui domi remansit, contra dicta restitutum partis adversæ falsi querelam objecit. Sed cum interrogatus fuisset à nobis utrum juramento veller asserere quòd eam non opponeret per calumniam propter negotium protrahendum, sed crederet ipsam per legitimos posse testes probari, aut saltem quòd Syndicus qui præstiterat juramentum calumnie injunxit illi ut hanc opponeret questionem, neutrum se juraturum respondit. Vnde licet pro eo quòd post peremptorium edictum non apparuit coram nobis sufficiens responsalis, secundum rigorem juris potuissimus aliud statuisse, ad instantiam tamen nuntiorum vestrorum, qui super hoc nobis humiliter supplicarunt, inducias usque ad primum Pascha vobis duximus concedendas, ut interim vel ipsum Syndicum vel alium responsalem idoneum ad nostram præsentiam transmittatis, qui exceptionem prædictam aut quamlibet aliam competentem legitime possit obicere, ne ulterius ipsum negotium differatur. Alioquin ex tunc & in expensas quas propter hoc expectando fecerit pars adversaria vos exigente justitia decrevimus condemnandos, & in ipso negotio quantum de jure poterimus procedemus.

.. EPISCOPO ET H. ABBATI  
de Aberbrubot, Th. Priori, Radulpho Archidiacono, & Magistro Laurentio Officiali  
sancti Andree.

CVm dilecti filij Abbas & Canonici de Kambufkinel dilectos filios. . . Abbatem & monachos de Dunfermelin diocesis sancti Andree coram venerabili fratre nostro. . . Dublinensi Episcopo & dilectis filiis. . . de Cupro & . . . de Soona Abbatibus ejusdem diocesis super quibusdam decimis ad Ecclesiam suam de Egles spectantibus & damnis & injuriis irrogatis auctoritate litterarum nostrarum traxissent in causam, & ipsi eisdem Abbatem & Canonicos ex delegatione nostra coram dilectis filiis. . . Priore sanctæ Crucis & . . Decano de Tiningham prædictæ diocesis ac te, fili Officialis, super Capella de Dunipast & decimis ad eandem spectantibus convenissent, utraque pars in vos post allegationes & altercationes multiplices compromisit, ut vos in negotiis ipsis secundum juris ordinem procedentes, controversias ipsas tam su-

Epist. 31.  
Committitur  
ut questiones  
certas super  
quibusdam decimis  
valeant  
terminare.